



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris  
Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 2. De Clausura Monialium

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

## Articulus Secundus.

### De Clausura Monialium.

I. **Q**uod turpe semper in omni gente  
estimatum sit mulieres extra domum vagari, aut frequentius exire, non  
tantum Judæus, Græcus, aut Romanus,  
sed & Barbarus probat, solo lumine natu-  
rali illustris; honestatis vero muliebris de-  
cuss, Clausura & domus custodia semper  
fuit, quare temerarium & Hæresi proxim-  
um est, libertatem egrediendi, extra  
claustra, sacræ monialium clausuræ ante-  
ponere, aut sub titulo carceris perpetui, à  
sacra Clausura virgines deterrere.

2. Est modo in Ecclesia præceptum de  
clausura perfecta, ab omnibus Monialibus  
observanda: prob. ex cap. periculoſo de sta-  
tu Regul. in 6. ubi Bonifac. VIII. Periculoſo  
(inquit) & delectabili quarundam Monia-  
lium statui providere cupientes, præsentि,  
constitutione perpetuo valitura sancimus:  
universas & singulas moniales præsentes atq;  
futuras, cujuscunq; Religionis sint, sub per-  
petua in suis Monasterijs debere manere

N 4

clau-

clausura: ita quod nulli earum sit vel esse  
valeat, quacunq<sup>z</sup> ratione vel causa, Mona-  
steria ipsa deinceps egrediendi facultas, nul-  
liq<sup>z</sup> nec etiam honestæ persona ad eas ingre-  
sus pateat.

3. Pontifex potest Monialibus impo-  
nere præceptum de observanda clausura  
perpetua, easque obligare in conscientia  
& compellere ad illam servandam: quia  
summi Pontifices plures id fecerunt, ap-  
probante tota Ecclesia in Spiritu Sancto  
congregata: ergo id facere potuerunt.  
In hac enim materia argumentum à facto  
ad posse concludit. Notandum vero Pa-  
pam posse dupliciter præcipere observan-  
tiā Clauſuræ. 1. Sub ratione simplicis  
præcepti absque ulla emissione voti, ita ut  
non observantes, peccent quidem contra  
præceptum superioris, non tamen contra  
votum. 2. Sub ratione voti ita ut præci-  
piat Monialibus, non tantum servare clau-  
suram perpetuam, sed etiam obliget illas  
ad votum emittendum. Rursus præce-  
ptum illud quo mandat Pontifex Clauſu-  
ram voveri. Dupliciter fieri potest, nimi-  
rum:

rum: positive & absolute , compellendo  
scilicet ut votum explicite emittant: & ne-  
gative : annullando omnes profesiones  
quæ absque tali voto explicito fient à  
Monialibus.

5. Episcopi etiam habent ordinariam  
ac illimitatam potestatem, introducendi  
& conservandi **Clausuram**, in omnibus  
Monasterijs Monialium non exemptis.  
Patet ex verbis Concilij, quibus præcipit  
Episcopis, sub interminatione maledi-  
ctionis æternæ, ut in omnibus monasterijs  
**Clausuram** sancti monialium, ubi violata  
fuerit, diligenter restituant, ubi inviolata  
eam conservent. Habent etiam potesta-  
tem Ordinariam in moniales non exein-  
ptas , ut earum personas ad **Clausuram**  
compellant , quia Clausura monasterio-  
rum , non indicitur nisi ratione persona-  
rum: unde qualem potestatem habet Epi-  
scopus ad Monasterij **Clausuram**, eandem  
censetur & majorem habere , in personas  
quæ **Clausuram** servare debent. Dicitur  
(majorem) quia etsi Episcopus interdum  
**Clausuram** perfectam murorum, crates, &

N 5

alia

270 Tract. Secundus, De Statu Religioso.  
alia hujusmodi ad Clausuram pertinentia,  
ob aliquas rationes exequi non possit: po-  
test tamen omnino præcipere, etiam cen-  
suris adhibitis, ne Moniales domum ex-  
cant, nec ad certa loca sæculares admittant.

6. Episcopi insuper omnimodam po-  
testatem habent, quamvis delegatam, pro-  
curandi Clausuram in quibuslibet Mona-  
sterijs exemptis Monialium. Patet ex eo-  
dem contextu Tridentini supra, procura-  
tionem vero illam in Episcopis respectu  
Monialium exemptarum, quæ superiores  
Regulares habent, intelligunt Doctores  
in Casibus, in quibus superiores moniti  
deficerent, vel de violata, aut non debite  
custodita Clausura, quæremoniæ deferre-  
rentur: alias censent Episcopum non pos-  
se se immiscere. Quia delegata potestas,  
est tantum suppletiva ordinariæ in casu de-  
fectus. Positò igitur quod Clausura inte-  
merata servetur, & de ipsius abusu non  
sint quærimoniæ: præceptum datum Epi-  
scopis, cessare censendum est.

TRA.